

Mosella

Ausonius

Transieram celerem nebuloso flumine Nauam
Addita miratus ueteri noua moenia Vinco,
Aequauit Latias ubi quondam Gallia Cannas
Infletaeque iacent inopes super arua cateruae.
Vnde iter ingrediens nemorosa per auia solum
Et nulla humani spectans uestigia cultus
Praetereo arentem sitientibus undique terris
Dumnissum riguasque perenni fonte Tabernas
Aruaque Sauromatum nuper metata colonis:
Et tandem primis Belgarum conspicio oris
Noiomagum, diui castra inclita Constantini.
Purior hic campis aer Phoebusque sereno
Lumine purpureum reserat iam sudus Olympum;
Nec iam consertis per mutua uincula ramis
Quaeritur exclusum uiridi caligine caelum;
Sed liquidum iubar et rutilam uiscentibus aethram
Libera perspicui non inuidet aura diei.
In speciem tum me patriae cultumque nitentis
Burdigalae blando pepulerunt omnia uisu:
Culmina uillarum pendentibus edita ripis
Et uirides Baccho colles et amoena fluentia
Subter labentis tacito rumore Mosellae.
Salue, amnis, laudate agris, laudate colonis,
Dignata imperio debent cui moenia Belgae:
Amnis odorifero iuga uitea consite Baccho,
Consite gramineas, amnis uiridissime, ripas:
Nauiger ut pelagus, deuexas pronus in undas
Vt fluuius, uitreoque lacus imitate profundo
Et riuos trepido potes aequiperare meatu
Et liquido gelidos fontes praecellere potu:
Omnia solus habes, quae fons, quae riuus et amnis
Et lacus et biuio refluus manamine pontus.
Tu placidis praelapsus aquis nec murmura uenti
Vlla nec occulti pateris luctamina saxi.
Non spirante uado rapidos properare meatus
Cogeris, extantes medio non aequore terras
Interceptus habes, iusti ne demat honorem
Nominis, exclusum si diuidat insula flumen.
Tu duplices sortite uias, et cum amne secunda
Defluis, ut celeres feriant uada concita remi,
Et cum per ripas nusquam cessante remulco
Intendunt collo malorum uincula nautae.
Ipse tuos quotiens miraris in amne recursus
Legitimosque putas prope segnius ire meatus!
Tu neque limigenis ripam praetexeris uluis,
Nec piger immundo perfundis litora caeno:

Sicca in primores pergunt uestigia lymphas.
I nunc et Phrygiis sola leuia consere crustis
Tendens marmoreum laqueata per atria campum;
Ast ego despectis, quae census opesque dederunt,
Naturae mirabor opus, non cura nepotum
Laetaque iacturis ubi luxuriatur egestas.
Hic solidae sternunt umentia litora harenae,
Nec retinent memores uestigia pressa figuras.
Spectaris uitreo per leuia terga profundo,
Secreti nihil amnis habens: utque almus aperto
Panditur intuitu liquidis obtutibus aer
Nec placidi prohibent oculos per inania uenti,
Sic demersa procul durante per intima uisu
Cernimus arcanique patet penetrabile profundi,
Cum uada lene meant liquidarum et lapsus aquarum
Prodit caerulea dispersas luce figuras:
Quod sulcata leui crispatur harena meatu,
Inclinata tremunt uiridi quod gramina fundo;
Vsque sub ingenuis agitatae fontibus herbae
Vibrantes patiuntur aquas lucetque latetque
Calculus et uiridem distinguit glareae muscum:
Tota Caledoniis talis pictura Britannis,
Cum uirides algas et rubra corallia nudat
Aestus et albentes, concharum germina, bacas,
Delicias hominum, locupletibus atque sub undis
Assimulant nostros imitata monilia cultus.
Haud aliter placidae subter uada laeta Mosellae
Detegit admixtos non concolor herba lapillos.
Intentos tamen usque oculos errore fatigant
Interludentes, examina lubrica, pisces.
Sed neque tot species obliquatosque natatus
Quaeque per aduersum succedunt agmina flumen,
Nominaque et cunctos numerosae stirpis alumnos
Edere fas aut ille sinit, cui cura secundae
Sortis et aequorei cessit tutela tridentis.
Tu mihi flumineis habitatrix Nais in oris,
Squamigeri gregis ede choros liquidoque sub alueo
Dissere caeruleo fluitantes amne cateruas.
Squameus herbosas capito inter lucet harenas
Viscere praetenero fartim congestus aristis
Nec duraturus post bina trihoraria mensis,
Purpureisque salar stellatus tergora guttis,
Et nullo spinae nociturus acumine rhedo,
Effugiensque oculos celeri leuis umbra natatu.
Tuque per obliqui fauces uexate Sarauis,
Qua bis terna fremunt scopulosis ostia pilis,
Cum defluxisti famae maioris in amnem,
Liberior laxos exercei, barbe, natatus:
Tu melior peiore aeuo, tibi contigit omni

Spirantum ex numero non illaudata senectus.
Nec te puniceo rutilantem uiscere, salmo,
Transierim, latae cuius uaga uerbera caudae
Gurgite de medio summas referuntur in undas,
Occultus placido cum proditur aequore pulsus.
Tu loricato squamosus pectore, frontem
Lubricus et dubiae facturus fercula cenae
Tempora longarum fers incorrupte morarum,
Praesignis maculis capitis, cui prodiga nutat
Aluus opimatoque fluens abdomine uenter.
Quaeque per Illyricum, per stagna binominis Histri
Spumarum indiciis caperis, mustela, natantum
In nostrum subuecta fretum, ne lata Mosellae
Flumina tam celebri defraudarentur alumno.
Quis te naturae pinxit color! atra superne
Puncta notant tergum, qua lutea circuit iris;
Lubrica caeruleus perducit tergora fucus;
Corporis ad medium fartim pinguescis, at illinc
Vsque sub extremam squalet cutis arida caudam.
Nec te, delicias mensarum, perca, silebo,
Amnigenos inter pisces dignande marinis,
Solus puniceis facilis contendere nullis:
Nam neque gustus iners solidoque in corpore partes
Segmentis coeunt, sed dissociantur aristas.
Hic etiam Latio risus praenomine, cultor
Stagnorum, querulis uis infestissima ranis,
Lucius, obscuras ulua caenoque lacunas
Obsidet; hic nullos mensarum lectus ad usus
Feruēt fumosis olido nidore popinis.
Quis non et uirides, uulgi solacia, tincas
Norit et alburnos, praedam puerilibus hamis,
Stridentesque focus, obsonia plebis, alausas?
Teque inter species geminas neutrumque et utrumque,
Qui necdum salmo nec iam salar ambiguusque
Amborum medio, sario, intercepte sub aeuo?
Tu quoque flumineas inter memorande cohortes,
Gobio, non geminis maior sine pollice palmis,
Praepinguis, teres, ouipara congestior aluo
Propexique iubas imitatus, gobio, barbi.
Nunc, pecus aequoreum, celebrabere, magne silure,
Quem velut Actaeo perductum tergora oliuo
Amnicolam delphina reor: sic per freta magnum
Laberis et longi uix corporis agmina solvis
Aut breuibus defensa uadis aut fluminis uluis.
At cum tranquillos moliris in amne meatus,
Te uirides ripae, te caerulea turba natantum,
Te liquidae mirantur aquae: diffunditur alueo
Aestus et extremi procurrunt margine fluctus.
Talis Atlantiaco quondam ballena profundo,

Cum uento motuue suo telluris ad oras
Pellitur, exclusum fundit mare, magnaue surgunt
Aequora, uicinique timent deere seere montes.
Hic tamen, hie nostrae mitis ballena Mosellae
Exitio procul est magnoque honor additus amni.
Iam liquidas spectasse uias et lubrica pisces
Agmina multiplicisque satis numerasse cateruas.
Indueant aliam spectacula uitea pompam
Sollicitentque uagos Baccheia munera uisus,
Qua sublimis apex longo super ardua tractu
Et rupes et aprica iugi flexusque sinusque
Vitibus assurgunt naturalique theatro.
Gauranum sie alma iugum uindemia uestit
Et Rhodopen, proprioque nitent Pangaea Lyaeo;
Sic uiret Ismarius super aequora Thracia collis;
Sic mea flauentem pingunt uineta Garunnam.
Summis quippe iugis tendentis in ultima cliui
Conseritur uiridi fluuiialis margo Lyaeo.
Laeta operum plebes festinantesque coloni
Vertice nunc summo properant, nunc deiuge dorso,
Certantes stolidis clamoribus. Inde uiator
Riparum subiecta terens, hinc nauita labens
Probra canunt seris cultoribus: astrepiat ollis
Et rupes et silua tremens et concauus amnis.
Nec solos homines delectat scaena locorum:
Hic ego et agrestes Satyros et glauca tuentes
Naidas extremis credam concurrere ripis,
Capripedes agitat cum laeta proteruia Panas
Insultantque uadis trepidasque sub amne sorores
Terrent indocili pulsantes uerbere fluctum.
Saepe etiam mediis furata e collibus uuas
Inter Oreiadas Panope fluuiialis amicas
Fugit lasciuos, paganica numina, Faunos.
Dicitur et, medio cum sol stetit aureus orbe,
Ad commune fretum Satyros uitreasque sorores
Consortes celebrare choros, cum praebuit horas
Secretas hominum coetu flagrantior aestus;
Tunc insultantes sua per freta ludere Nymphas
Et Satyros mersare uadis rudibusque natandi
Per medias exire manus, dum lubrica falsi
Membra petunt liquidosque fouent pro corpore fluctus.
Sed non haec spectata ulli nec cognita uisu
Fas mihi sit pro parte loqui: secreta tegatur
Et commissa suis lateat reuerentia riuus.
Illa fruenda palam species, cum glaucus opaco
Respondet colli fluuius, frondere uidentur
Fluminei latices et palmite consitus amnis.
Quis color ille uadis, seras cum propulit umbras
Hesperus et uiridi perfundit monte Mosellam!

Tota natant crispis iuga motibus et tremit absens
Pampinus et uitreis uindemia turget in undis.
Annumerat uirides derisus nauita uites,
Nauita caudiceo fluitans super aequora lembo
Per medium, qua sese anni confundit imago
Collis et umbrarum confinia conserit amnis.
Haec quoque quam dulces celebrant spectacula pompas,
Remipedes medio certant cum flumine lembi
Et uarios ineunt flexus uiridesque per oras
Stringunt attonsis pubentia germina pratis!
Puppibus et proris alacres gestire magistros
Impubemque manum super amnica terga uagantem

Dum spectat, [uiridis qua surgit ripa, colonus,
Non sentit] transire diem, sua seria ludo
Posthabet: excludit ueteres noua gratia curas.
Tales Cumano despectat in aequore ludos
Liber, sulphurei cum per iuga consita Gauri
Perque uaporiferi graditur uineta Veseui,
Cum Venus Actiacis Augusti laeta triumphis
Ludere lasciuos fera proelia iussit Amores,
Qualia Niliacae classes Latiaeque triremes
Subter Apollinae gesserunt Leucados arces,
Aut Pompeiani Mylasena pericula belli
Euboicae referunt per Auerna sonantia cumbae:
Innocuos ratiū pulsus pugnasque iocantes
Naumachiae, Siculo qualis spectala Peloro,
Caeruleus uiridi reparat sub irnagine pontus.
Non aliam speciem petulantibus addit ephebis
Pubertasque amnisque et picti rostra phaseli.
Hos Hyperionio cum sol perfuderit aestu,
Reddit nautales uitreo sub gurgite formas
Et redigit pandas inuersi corporis umbras.
Vtque agiles motus dextra laeuaque frequentant
Et commutatis alternant pondera remis,
Vnda refert alios, simulacra umentia, nautas:
Ipsa suo gaudet simulamine nautica pubes
Fallaces fluuio mirata redire figuras.
Sic ubi compositos ostentatura capillos,
Candentem late speculi explorantis honorem
Cum primum carae nutrix admouit alumnae,
Laeta ignorato fruitur uirguncula ludo
Germanaeque putat formam spectare puellae:
Oscula fulgenti dat non referenda metallo
Aut fixas praetemptat acus aut frontis ad oram
Vibratos captat digitis extendere crines:
Talis ad umbrarum ludibria nautica pubes
Ambiguus fruitur ueri falsique figuris.

lam uero accessus faciles qua ripa ministrat,
Scrutatur toto populatrix turba profundo
Heu male defensos penetrati flumine pisces.
Hic medio procul amne trahens umentia lina
Nodosis decepta plagis examina uerrit;
Ast hic, tranquillo qua labitur agmine flumen,
Ducit corticeis fluitantia retia signis;
Ille autem scopulis deiectas pronus in undas
Inclinat lentae conexa caeumina uirgae
Inductos escis iaciens letalibus hamos.
Quos ignara doli postquam uaga turba natantum
Rictibus inuasit patulaeque per intima fauces
Sera occultati senserunt uulnera ferri,
Dum trepidant, subit indicium crispoque tremori
Vibrantis saetae nutans consentit harundo:
Nec mora et excussam stridenti uerbere praedam
Dexter in obliquum raptat puer; excipit ictum
Spiritus, ut fractis quondam per inane flagellis
Aura crepat motoque assibilat aere uentus.
Exultant udae super arida saxa rapinae
Luciferique pauent letalia tela diei,
Cuique sub amne suo mansit uigor, aere nostro
Segnis anhelatis uitam consumit in auris.
Iam piger inualido uibratur corpore plausus,
Torpida supremos patitur iam cauda tremores,
Nec coeunt rictus, haustas sed hiatibus auras
Reddit mortiferos expirans branchia flatus.
Sic ubi fabriles exercet spiritus ignes,
Accipit alterno cohibetque foramine uentos
Lanea fagineis alludens parma cauernis.
Vidi egomet quosdam leti sub fine trementes
Collegisse animas, mox in sublime citatos
Cernua subiectum praeceps dare corpora in amnem
Desperatarum potientes rursus aquarum.
Quos impos damni puer inconsultus ab alto
Impetit et stolido captat prensare natatu.
Sic Anthedonius Boeotia per freta Glaucus,
Gramina gustatu postquam exitialia Circes
Expertus carptas moribundis piscibus herbas
Sumpsit, Carpathium subiit nouus accola pontum.
Ille hamis et rete potens, scrutator operti
Nereos, aequoream solitus conuerrere Tethyn,
Inter captiuas fluitauit praedo cateruas.
Talia despectant longo per caerula tractu
Pendentes saxis instanti culmine uillae,
Quas medius dirimit sinuosis flexibus errans
Amnis, et alternas comunt praetoria ripas.
Quis modo Sestiacum pelagus, Nepheleidos Helles
Aequor, Abydeni freta quis miretur ephebi?

Quis Chalcedonio constratum ab litore pontum,
Regis opus magni, mediis euripus ubi undis
Europaeque Asiaeque uetat concurrere terras?
Non hic dira freti rabies, non saeua furentum
Proelia caurorum; licet hic commercia linguae
Iungere et alterno sermonem texere pulsu.
Blanda salutiferas permiscent litora uoces
Et uoces et paene manus: resonantia utrimque
Verba refert mediis concurrens fluctibus echo.
Quis potis innumeros cultusque habitusque retexens
Pandere tectonicas per singula praedia formas?
Non hoc spernat opus Gortynius aliger, aedis
Conditor Euboicae, casus quem fingere in auro
Conantem Icarios patrii pepulere dolores;
Non Philo Cecropius, non qui laudatus ab hoste
Clara Syracosii traxit certamina belli.
Forsan et insignes hominumque operumque labores
Hic habuit decimo celebrata uolumine Mareei
Hebdomas, hic clari uiguere Menecratis artes
Atque Ephesi spectata manus uel in arce Mineruae
Ictinus, magico cui noetua perlita fuco
Allicit omne genus uolucres perimitque tuendo.
Conditor hic forsitan fuerit Ptolomaidos aulae
Dinochares, quadro cui in fastigia cono
Surgit et ipsa suas consumit pyramis umbras.
Iussus ob incesti qui quondam foedus amoris
Arsinoen Pharii suspendit in aere templi;
Spirat enim tecti testudine corus achates
Amatamque trahit ferrato crine puellam.
Hos ergo aut horum similes est credere dignum
Belgarum in terris scaenas posuisse domorum
Molitos celsas fluuii decoramina uillas.
Haec est natura sublimis in aggere saxi,
Haec procurrentis fundata crepidine ripae,
Haec refugit captumque sinu sibi uindicat amnem.
Illa tenens collem, qui plurimus imminet amni,
Vsurpat faciles per culta, per aspera uisus
Vtque suis fruitur felix speculatio terris.
Quin etiam riguis humili pede condita pratis
Compensat celsi bona naturalia montis
Sublimique minans irrumpit in aethera tecto
Ostentas altam, Pharos ut Memphitica, turrim.
Huic proprium clausos consaepto gurgite pisces
Apricas scopulorum inter captare nouales.
Haec summis innixa iugis labentia subter
Flumina despectu iam caligante tuetur.
Atria quid memorem uiridantibus assita pratis
Innumerisque super nitentia tecla columnis?
Quid quae fluminea substructa crepidine fumant

Balnea, feruenti cum Mulciber haustus operto
Voluit anhelatas tectoria per caua flammās
Inclusum glomerans aestu expirante uaporem?
Vidi ego defessos multo sudore lauacri
Fastidisse lacus et frigora piscinarum,
Vt uiuis fruerentur aquis, mox amne refotos
Plaudenti gelidum flumen pepulisse natatu.
Quod si Cumanis huc afforet hospes ab oris,
Crederet Euboicas simulacra exilia Baias
His donasse locis: tantus cultusque nitorque
Allicit et nullum parit oblectatio luxum.
Sed mihi qui tandem finis tua glauca fluenta
Dicere dignandumque mari memorare Mosellam,
Innumeri quod te diuersa per ostia late
Incurrunt amnes? quamquam differre meatus
Possent, sed celerant in te consumere nomen.
Namque et Promeae Nemesaeque adiuta meatu
Sura tuas properat non degener ire sub undas,
Sura interceptis tibi gratificata fluentis,
Nobilius permixta tuo sub nomine, quam si
Ignoranda patri confunderet oslia ponto.
Te rapidus Celbis, te marmote clarus Erubris
Festinant famulis quam primum allambere lymphis:
Nobilibus Celbis celebratus piscibus, ille
Praecipiti torquens cerealia saxa rotatu
Stridentesque trahens per leuia marmora serras
Audit perpetuos ripa ex utraque tumultus.
Praetereo exilem Lesuram tenuemque Drahonum
Nec fastiditos Salmonae usurpo fluores:
Nauiger undisona dudum me mole Sarauus
Tota ueste uocat, longum qui distulit amnem,
Fessa sub Augustis ut uolueret ostia muris.
Nec minor hoc, tacitum qui per sola pinguia labens
Stringit frugiferas felix Alisontia ripas.
Mille alii, prout quemque suus magis impetus urget,
Esse tui cupiunt: tantus properantibus undis
Ambitus aut mores. Quod si tibi, dia Mosella,
Smyrna suum uatem uel Mantua clara dedisset,
Cederet Iliacis Simois memoratus in oris,
Nec praeferre suos auderet Thybris honores.
Da ueniam, da, Roma potens! pulsa, oro, facessat
Inuidia et Latiae Nemesis non cognita linguae:
Imperii sedem Romae tenuere parentes.
Salue, magne parens frugum uirumque, Mosella!
Te clari proceres, te bello exercita pubes,
Aemula te Latiae decorat facundia linguae.
Quin etiam mores et laetum fronte serena
Ingenium natura tuis concessit alumnis;
Nec sola antiquos ostentat Roma Catones,

Aut unus tantum iusti sectator et aequi
Pollet Aristides ueteresque illustrat Athenas.
Verum ego quid laxis nimium spatiatus habenis
Victus amore tui praeconia detero? conde,
Musa, chelyn pulsus extremo carmine netis.
Tempus erit, cum me studiis ignobilis otii
Mulcentem curas senique aprica fouentem
Materiae commendet honos; cum facta uirum
Belgarum patriosque canam, decora inclita, mores:
Mollia subtili nebunt mihi carmina filo
Pierides tenuique aptas subtemine telas
Percurrunt: dabitur nostris quoque purpura fuis.
Quis mihi tum non dictus erit? memorabo quietos
Agricolae legumque catos fandique potentes,
Praesidium sublime reis; quos curia summos
Municipum uidit proceres propriumque senatum,
Quos praetextati celebris facundia ludii
Contulit ad ueteris praeconia Quintiliani,
Quique suas rexere urbes purumque tribunal
Sanguine et innocuas illustrare secures,
Aut Italum populos aquilonigenasque Britannos
Praefectarum titulo tenere secundo;
Quique caput rerum, Romam, populumque patresque
Tantum non primo rexit sub nomine, quamuis
Par fuerit primis: festinat soluere tandem
Errorem fortuna suum libataque supplens
Praemia iam ueri fastigia reddat honoris
Nobilibus repetenda nepotibus. At modo coeptum
Detexatur opus, dilata et laude uirorum
Dicamus laeto per rura uirentia tractu
Felicem fluuium Rhenique sacremus in undas.
Caeruleos nunc, Rhene, sinus hyaloque uirentem
Pande peplum spatiumque noui metare fluenti
Fraternis cumulandus aquis. Nec praemia in undis
Sola, sed Augustae ueniens quod moenibus urbis
Spectauit iunctos natiue patrisque triumphos
Hostibus exactis Nicrum super et Lupodunum
Et fontem Latiis ignotum annalibus Histri.
Haec profligati uenit modo laurea belli,
Hinc alias aliasque feret. Vos pergite iuncti
Et mare purpureum gemino propellite tractu.
Ne uereare minor, pulcherrime Rhene, uideri:
Inuidiae nihil hospes habet; potiere perenni
Nomine: tu fratrem famae securus adopta.
Diues aquis, diues Nymphis, largitor utrique
Alueus extendet geminis diuortia ripis
Communesque uias diuersa per ostia fundet.
Accedent uires, quas Francia quasque Chamae
Germanique tremant: tunc uerus habebere limes.

Accedet tanto geminum tibi nomen ab amni,
Cumque unus de fonte fluas, dicere bicornis.
Haec ego, Viuisca ducens ab origine gentem,
Belgarum hospitibus non per noua foedera notus,
Ausonius, nomen Latium, patriaque domoque
Gallorum extremos inter celsamque Pyrenen,
Temperat ingenuos qua laeta Aquitanica mores,
Audax exigua fide concino. Fas mihi sacrum
Perstrinxisse amnem tenui libamine Musae.
Nec laudem affecto, ueniam peto. Sunt tibi multi,
Alme amnis, sacros qui sollicitare fluores
Aonidum totamque solent haurire Aganippen.
Ast ego quanta mei dederit se uena liquoris,
Burdigalam cum me in patriam nidumque senectae
Augustus, pater et nati, mea maxima cura,
Fascibus Ausoniis decoratum et honore curuli
Mittent emeritae post munera disciplinae,
Latus Arctoi praeconia persequar amnis.
Addam urbes, tacito quas subter laberis alueo,
Moeniaque antiquis te prospectantia muris;
Addam praesidiis dubiarum condita rerum,
Sed modo securis non castra, sed horrea Belgis;
Addam felices ripa ex utraque colonos
Teque inter medios hominumque bouumque labores
Stringentem ripas et pingua culta secantem.
Non tibi se Liger anteferet, non Axona praeceps,
Matrona non, Gallis Belgisque intersita finis,
Santonico refluus non ipse Carantonus aestu.
Concedet gelido Durani de monte uolutus
Amnis, et auriferum postponet Gallia Tarnen,
Insanumque ruens per saxa rotantia late
In mare purpureum dominae tamen ante Mosellae
Numine adorato Tarbellicus ibit Aturrus.
Corniger externas celebrande Mosella per oras,
Nec solis celebrande locis, ubi fonte superno
Exeris auratum taurinae frontis honorem
Quaque trahis placidos sinuosa per arua meatus
Vel qua Germanis sub portibus ostia soluis:
Si quis honos tenui uolet aspirare Camenae,
Perdere si quis in his dignabitur otia Musis,
Ibis in ora hominum laetoque fouebere cantu.
Te fontes uiuique lacus, te caerulea noscent
Flumina, te ueteres, pagorum gloria, luci,
Te Druna, te sparsis incerta Druentia ripis
Alpinique colent fluuii duplicemque per urbem
Qui meat et Dextrae Rhodanns dat nomina ripae;
Te stagnis ego caeruleis magnumque sonoris
Amnibus, aequoreae te commendabo Garunnae.